

COROLLARIA

E L I S A B E T H Æ,

Reginæ Poloniæ,

SCHEMA GENEALOGICUM

quoad Ascendentes & Descendentes

Cæsareo - Regios

curiosissimum;

quoad Memorabilia Historico-Politica

utrinque clarissimum:

P R Æ S I D E N T

M. GEORGIO WENDIO, WRATISL.

GYMNASII THOR. RECT. & PROF. PUBL.

a. d. XI. Augusti. A. O. R. M. DCC.

ad conferendum propositum

à

BALTHASARE ABRAHAMO de Kottwitz

Eqv. Siles.

discurrendi materiam præsentibus:

Ephraim Popradio, Bartpha Hung.

Samuele Titio, Crofnensi Siles. &

Levino Friderico de Hahn/ Eqv. Curlando. ✓

E Chalcographeo Thoruniensium.



E XX 167/8. madhi

Ad Nobilissimum RESPONDENTEM,
Commenfalem hactenus, & Amicum suum.

Solertes si quis doctrinæ quærat Alumnos;
Monstrabit natos, SLESIA clara, suos.
Si quis honestatis velit, & pietatis amantes;
SLESIA complures, ac sine fraude, dabit.
Oestro si laudum quis percita pectora poscat;
Hæc quoque mille sinu SLESIA læta fovet.
Ergò solo in tali generoso sanguine natus,
KOTWIZI, magnam spem dare jure potes:
Nam, si Doctrinæ pietatem jungere pergas,
Gloria Te certò non moritura manet.

Omen & votum

Henrici Dzikovij, Ecclesiast. ad D. Mar.

Auditori Suo,

tum ob alia, tum ob Mores compositos, perdilecto,

De

nobili ac notabili Schemate Genealogico
sententiam suam cum Conferentibus collaturo,

Feliciter !

Rite facis, Kottwiz, quod nobile Schema resolvis.

Nobile enim Ingenium nobile Thema decet.

singularis amoris contestandi

ergo scr.

PRÆSES.

Es liegt wol unser Ruhm nicht gang im Disputiren.
Man hält auch diesen werth / der zierlich reden kan ;
Doch weil mein Freund sich wagt / diß Wesen anzurühren /
So nehm ich solches Werck vor ein gut Omen an.

Er wil / (so glaub' ich /) hier dem Vaterlande zeigen /
Daß er vor dessen Heil einst streiten wil / nicht schweigen.

Es geschehe ! Also wünschet

Gottlob Waltherr.

Jur. Pract. Thor.

Res præclara mihi est, & laudibus usque vehenda,

Nos Monarcharum stemmata nosse, genus.

Sedulus hoc studium, Iuvenis Generose, frequentas,

Progeniem Regum Te didicisse juvat.

Gratulor ex animo de tantis ausibus, oprans,

Floreat ut pulchre KOTWIZIANA Domus !

*Sic gratulabundus fraterum intimi amoris
affectum nobilissimo Respondenti,
Contubernalisuo, contestari debuit,*

Lev. Fridericus de Hahn/

Eqv. Curl.

Historia studium generosæ stirpis imago est,

Historia studium vitæ est præclarus ocellus,

Historia studium virtutis regula certa est,

Historia studium vitiorum est pergravis index.

Isthoc in studio, ac alijs cum sedulo vivas,

Insignem capies hinc usum ac commoda certa.

Inprimis quia Te delectant stemmata Regum,

Regum dignus eris studijs, Regumque favore.

Hæc ut eveniant

Nobilissimo Respondenti,

ex animo vocat

Henningus Franciscus de Möncho,

Eqv. Pom.

S C H E M A I P S U M.
Henricus VII. Luzelburg. Imperator.

|
Iohannes, Rex Bohemiæ.

|
Carolus IV. Imp.

|
Sigismundus, Imp. Rex Ung. & Boh.

|
Elisabetha.

(Albertus II. Imp. Rex Ung. & Boh.)

Ladislaus Posthumus.
Rex Ung. & Boh.

Anna.
Wilh. D.
Saxon.

ELISABETHA.
Casimirus IV.
R. Polon.

Vladislaus II.
R. Ung. & Boh.

Casimirus S.

Ioh. Albertus
R. Polon.

Alexand.
R. Pol.

Sigismundus,
R. Pol.

Frideric.
Cardin.

Anna. Ferdinand.
I. R. Ung. & Boh.

Ludovicus II.
Rex Ung. & Boh.

Sigismundus
Augustus, R.
Polon.

Elisabetha.
Johannes
Princeps
Transsylv.

Catharina.
Johannes,
R. Sveciæ.

Anna.
Stephanus.
Bathor.
R. Pol.

DeEjus de-
scendentibus
videatur
Tabula Au-
striaca.

|
Sigismundus III.
Rex Polon. &
Sveciæ.

Vladislaus IV.
Rex Polon.

Johannes Cas-
mirus, Rex
Poloniæ.

I. Observationes Genealogicæ super præmisso Schemate.

§. I.


Masculorum prosapiam si respexerimus, nemo quidem inficias iverit, pluscula hujus farinae Schemata observari in Tabulis Genealogicis, E. G. Ferdinandus I. Rom. Imp. 1.) *in linea ascendente* a.) *paterna* sex Impp. Rudolphum I. Albertum I. Fridericum III. Albertum II. Fridericum IV. & Maximilianum I. unumq; Regem Hispaniæ, Philippum I. b.) *materna*, per plures Arragoniæ & Castiliæ Reges; 2.) *in linea descendente* sex *Cæsares* Romano-Germanicos, np. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam, Ferdinandum II. & III. atq; Leopoldum; tres *Hispania* Reges, Philippum III. & IV. nec non Carolum II. duos *Gallia* Reges, Ludovicum XIII. & XIV. tres *Anglia* Reges, Carolum II. Iacobum VII. & Wilhelmum III. tres *Svecia* Reges, Carolum Gustavum, Carolum XI. & XII. duos *Polonia* Reges, Vladislaum IV. & Iohannem Casimirum, vel e filijs, vel e filiabus, justa serie descendentes, numerat. Ad *sequiorem* tamen, eundemque *illustrerem*, sexum si reflectas oculos, dubitare licet, an par nostro in universa Historia Genealogica produci queat systema. Felicitas quippe, quam aliæ *Regina* in Filijs, nepotibus, neptibus &c. divisam expertæ sunt, Elisabetha nostra singulari S. Numinis beneficio conjunctam habuit.

§. 2. Inter *illustriores* istas, illustri sive adscendentium, sive descendentium, combinatione feliciter coronatas, *Fæminas* vulgo refertur 1.) *Catharina* Medicea, quæ trium Regum Galliæ, Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. Mater; 2.) *Isabella*, Ungar. Regina, quæ Regis Filia, Conjux, Soror, Mater; 3.) *Elisabetha* Bavara, quæ trium Electorum, Friderici sapientis, Alberti II. & Johannis Constantis, Mater extitit. Quibus 4.) merito adsociatur felicitas, in REGINÆ, Barriabonis, ViceComitis Mediolanensis Principis, Conjuge observata. Etenim juxta Bernardinum Scardeonum libr. 3. Histor. Patav. prima ejus Filia Petro, Cypri Regi, secunda Ludovico, primogenito Regis Galliæ, tertia Baviariæ Duci, quarta Austriæ Duci, quinta Galeatio, ViceComiti, sexta Leopoldo Austriaco, Friderici III. Imp. Avo, septima Baviariæ Duci, octava Friderico, Siciliæ Regi, nona Friderico Gonzagæ, decima Ernesto, Duci Monachij, undecima Friderico, fratri ejus juniori, ultima Dimundo,

Cantix

Cantiæ Comiti; primogenito Regis Britannæ; h. e. talibus Principibus, elocata fuerunt, e quarum generosa stirpe ferme plerique Dynastæ, qui nunc rerum potiuntur, originem suam traxerunt. (Conferatur VII. Reginarum Mater, Beatrix, apud Em. Thesaurum in Inscript. p. 136.) Ast quidnam hoc ad Exemplum nostrum? Illic, vel in adscendentibus, vel in descendentes tantum, ac utrobique rursum in primo duntaxat gradu, acquiescitur; heic linea adscendens ad quintum, descendens ad quartum usque gradum feliciter extenditur ac illustratur.

§. 3. Propius paulo ad Ideam præsentem accedit AGNES, S. Leopoldi Marchionis Austriæ Coniux, quæ & ipsa in tertio gradu *Cæsareos* adscendentes juxta & descendentes agnovit. Erat nempe (uti ex apposita figura claret,) Imperatoris Henrici IV. Filia, Henrici III. neptis, Cunradi II. proneptis, (Henrici V. Cæsaris Soror,) Imp. Cunradi III. Mater, Friderici I. Avia, Henrici VI. & Philippi proavia. Elisabetha vero, ceu plenius e præfixo Schemate constat, palmam illi facit dubiam. Elisabetha, inquam, 1.) *intuitu Superiorum*, Cæsaris Alberti F. Sigismundi neptis, Caroli IV. proneptis, Johannis Reg. Boh. abneptis, & Cæsaris Henrici VII. atneptis; 2.) *intuitu equalium*, Regis Casimiri IV. Coniux, Regis Ladislai Soror; 3.) *intuitu inferiorum*, quatuor Regum, Vladislai, Joh. Alberti, Alexandri & Sigismundi I. Mater; duorum Regum, Ludovici R. Ungar. & Sigismundi Augusti Pol. R. Avia; ex nepte Anna, quæ Ferdinando I. nupsit, Imperatorum e lumbis ejus prodeuntium, Maximiliani II. Rudolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. & III. hodieque regnantis Leopoldi, Cyb ele quædam Mater; ex nepte denique Catharina, quam Johannes, Rex Sveciæ, matrimonio sibi junxerat, Sigismundi III. Regis Sveciæ & Polon. proavia, & per consequens Vladislai IV. & Joh. Casimiri, Regum Pol. & Sveciæ, abavia extitit.



§. 4. Inquis: 1.) Polypædias exempla apud Gomerar. Centur. 2. Horar. succisiv. cap. 66. p. 273. Majolum Tom. I. Dier. Canic. Colloqv. 4. Piccarrum Decad. XI. Observat. Historico-Polit. c. 3. & novissime in Disp. D. Petri Schulzij de Polypædia passim prostant. 2.) Etiam in quarto & quinto gradu posteros viderunt aliquæ, Dalburgia (ut est in Annalibus,) etiamnum vivens atneptem exosculata est, juxta verficulos:

Mater ait 1. natæ, dic 2. natæ, filia 3. natæ

Ut moneat, 4. natæ plangere 5. filiolam.

Ubi ergo tanta curiositas, quanta in antecedentibus jactata ?
R. 1.) In Observationibus nostris non tam ad multitudinem prolis simpliciter & in primo, quam ad multiplicationem familiæ in remotioribus gradibus respicimus. 2.) Remotiorum quoque graduum felicitas neutiquam ex descendente solummodo, verum & ascendente linea; et, quod rei caput est, ex dignitate summorum honorum utrobique eminente, potissimum æstimatur. Hinc nihil moramur Dalburgiæ exemplum. Privatam enim felicitatem duntaxat, & hæc in descendente tantum linea, inter mira Providentiæ diviniæ retulit illa. Quodque nos §. 2. de Barnabonis duodecim filiabus adduximus Paradigma, eo unice sine allegatum fuit, ut felicitas, quam unaquæque nubendo sortita fuerat, obelisco notaretur.

II. Observationes Historico-Policæ.

I. Etiam in Electio Regno a Parentum filijs, si digni ij fuerint, temere non receditur.

(Claret id, ceu aliunde, ita etiam e Schemate nostro. In Imperio Romano Parenti Henrico; in Polonia Casimiro IV. & Sigismundo III. In Hungaria & Bohemia Alberto II. dum supersunt, filij; interdum & fratres, (np. Iohanni Alb. Alexander, Alexandro Sigismundus, Vladislao Iohan. Casimirus,) in Schemate prædicto definiti, ea tamen circumspèctione, surrogantur, ut per hoc Electionis juri nihil decedat. Olim quidem, ut alia, ita etiam Poloniæ regnum, durante prosapia *Piastea*, videbatur esse successivum: ex quo veroad *Jagellonidas* delatum est sceptrum, liberrimis suffragijs eligi cœperunt Reges; quotque filij suffecti fuerunt Parentibus, non jure sanguinis, sed jure Electionis obtinuerunt fasces. B. Hartknoch. lib. I, de Rep. Polon. c. 1. p. 59. & 80.

Num vero in *Ungaria* quoque Successio, an Electio, valeat, Behamb. in Observat. Rer. Ung. p. 177. seq. pro & contra fuse recenset.)

II. Eidem Parenti in Polonia ter duo, semel tres, (ut h. l.) semel quatuor (successive) successerunt Filij.

Duo

(Duo successerunt : 1.) Craco, Lechus & Venda, 2.) Casimiro I. Feleslaus audax & Vladislaus, Hermannus dictus : 3.) Sigismundo III. Vladislaus IV. & Ioh. Casimirus. Tres : Casimiro IV. np. Ioh. Albertus, Alexander & Sigismundus I, ut est in Schemate. Quatuor : Boleslao Crivousti, Vladislaus II. Boleslaus IV. Miecislaus fenex & Casimirus II)

III. Electio & fors nonnullorum fuit dubia.

(1.) Henricus VII. Imp. Philippum pulchrum, R. Gallia, 2.) Carolus IV. Ludovicum Bavarum & Güntherum, Comitem Schwarzburgicum, utq. Anti-Cælares; 3.) Sigismundus III. R. Pol. Maximilianum Austriacum; 4.) Ladislaus Posthumus R. Ungariae Vladislaum Jagellonidem; 5.) Vladislaus II. R. Ung. & Boh. Maximilianum I. Austr. tanquam Anti Reges, passi sunt graves.)

IV. Aliqui per Uxores transierunt ad Regiam Dignitatem; per Consequens Fœminæ Regnorum ejuscemodi capaces sunt. Behamb. in Observat. Rer. Ungaric. p. 183.

(Sigismundo Imp. Uxor, Maria, Ludovici Ung. R. F. Alberto II. Imp. Elisabetha, Sigismundi Imp. F. Ferdinando I. Imp. Anna, Vladislai II. R. Ung. F. ad Ungaricam; Stephano, R. Pol. Anna, Sigismundi I. R. Pol. F. ad Polonicam Coronam adjumento fuit.)

V. Unus Regum nostrorum solio propemodum deturbatus; unus, ut sua sponte sceptrum deponeret, fato quodam coactus fuit.

(Dum in vivis erat Matthias, R. Vng. non solum Titulo Regis, verum & totius ferme Silesiæ, Lusatia Moraviaeque possessione, multatus est Vladislaus II. R. Boh. eademque omnia non, nisi post illius fata, A. 1440. recuperare potuit. Quare vero Ioh. Casimirus Regno Poloniae se abdicaverit, Rex ipse in Oratione solenniori, (in qua tum alia, tum fortunam novercantem, & quod propter virium defectum ad gubernandum amplius sit inhabilis, causatur.) exposuit.

VI. *Aliqui Regum, in Schemate consignatorum, conjuncta habuerunt Regna.*

(1.) *Ungaria & Bohemia* Regna conjuncta habuerunt : Sigismundus Imp. Albertus II. Imp. Ladislaus Posthumus, Vladislaus II. & Ludovicus II. Seculo XV. & XVI. 2.) *Polonia & Bohemia* Regna Seculo XIV. sub Wenceslao II. R. Bohemiæ, erant unita; v̄ero quia Vladislaus II. R. Ung. & Boh. Patre Casimiro IV. R. Pol. invito Ungaricam Coronam sibi imponi permiserat, a Poloniæ successione exclusus fuisse scribitur, ut ut esset primogenitus. 3.) Arctiorem *Polonia & Ungaria* conjunctionem tentabat Ludovicus, R. Ung. & Pol. generum suum, Sigismundum, t.t. Marchionem Brandenburg. postea R. Ung. & Imperatorem, declarans successorem in Polonia. Quid? quod & Vladislaus, Jagellonis F. A. 1434. Polonicos, A. 1440. Ungaricos consequutus est fasces. At prior non, perinde ut solet, reportabat, posterior non diu portabat Coronam. Illo a Poloniæ finibus abesse jussu, Hedwig, Ludovici prædicti F. postea Vladislai Jagellonis Conjux, in thronum evocabatur : hoc in Varnensi pugna cæso, singula regna singulos sibi constituebant Reges, 4.) Dum in eo est Sigismundus III. Seculo XVII. ut *Syeciã & Poloniã* itri-ctiori vinculo connectat, priori (ob suas causas) excidit, vix dum integra re-tenta altera.)

VII. *Plerique Regum fuerunt extranei, non indigenæ.*

(Ut de Romano Imperio hic nihil moneamus; *Polonia* Reges, Casimirus IV. Jagell. F. unã cum 3. Filijs & Nepote e Lithuana; *Ungaria & Bohemia* Reges, Iohannes, Carolus IV. & Sigismundus e Lûzelburgica; Albertus II. & Ladislaus Posthumus ex Austriaca; Vladislaus II. & Ludovicus II. e Polonico-Jagellonica, prodierunt familia.)

VIII. *Inter Memorabilia novorum populorum accessio non postremum meretur locum.*

(Con-

(Contigit autem talis 1.) tempore Sigismundi Imp. cujus partim humanitate & donationibus, partim & armis permoti *Silesii* Seculo XIV. omiffa Polonorum amicitia, Bohemiæ matriculæ nomina sua dederunt. 2.) Sub Casimiro IV. R. Pol. cujus ævo *Walachia*, maxima *Prusfia* portio, *Mariaburgensis* atque *Culmensis Palatinatus*, nec non *Pomerania*, & quidem beneficiaria lege, sese Poloniae submiserunt. 3.) Sub Sigismundo I. R. Polon. quo factes imperij tenente & *Prusfi*, ad officium redeuntes, tandem per Albertum, Marchionem Brandenburg. homagium præstiterunt, & *Masovia* hæreditario quodam jure ad Polonorum Castra transijt. 4.) Sub Vladislao IV. R. Pol. cujus virtute Polonia, *Regionibus aliquot* aucta, ultra centum milliaria fines explicuit.)

IX. Pro Regno suo, quoties necesse fuit, etiã depugnarunt Reges, ast Sigismundo Imp. nemo fere infelicius, Sigismundo I. Rege Pol. nemo fere felicius.

(Ille partim ab Hussitis, partim a Turcis, gravia multa perpeffus fuit: Hic, quasi fortunam in manibus habuiffet, ita in bello contra Lithvanos & Moscovitas, contra Wallachos & Tartaros, contra Pruffos, denique rursus contra Wallachos, victor fere semper redijt.)

X. Regnantium in nostro Schemate Familiarum Periodus curta nimis est.

(Documento est Familia Lûzelburgica, Iagellonica, Ungarica, Svecica. Prima in Henrico VII. Imp. incipiens, in Ladislao Posthumo, adeoque in quinto gradu; secunda in Vladislao Iagellone originem naçta, in Sigismundo Augusto R. Pol. adeoque in terio; tertia in Sigismundo Imp. & R. Ung. magmentata capiens, in Ludovico II. adeoque in quarto; ultima in Sigismundo III. R. Pol. & Svec. natales habens, in Ioh. Casimiro, adeoque in primi gradus hærede, rursus defecit.)

XI. Memorabilis quoq; est Obitus nonnullorum Regum.

(Hen-

(*Henricus VII.* Imp. Veneno, in hostia consecrata suppeditato; *Iohannes*, R. Boh. in bello Gallico adversum Anglos gesto, vel, ut alij malunt, in captivitate Anglicana; *Albertus II.* Imp. nimio peponum ulu & esu; *Sigismundus I.* Pol. R. præmissis coram monumento suo semihorarijs precibus & suspirijs; *Ladislau* Posth. R. Ung, prævia Ladislai Hunniadis citatione in vallem Iosaphat; *Ludovicus II.* R. Ung. in Lacu propè Mohatsch, vitam cum morte commutaverunt; longiori, si DEO O. M. visum fuisset, vita digni.)

N.B.

Singulorum insuper Cæsarum & Regum Memorabilia qui desiderat, ad Germanorum, Polonorum, Ungarorum, Bohemorum Annales confugiat. Nobis non tam ad singulorum dicta & facta, quam, quidnam circa integrum Schema observare conveniat, respiciendum fuit.

Corollaria,

1. Sine cognitione *Genealogica* de prohibitis Matrimonij gradibus, de successione in Feudis vel ab intestato, de Tutorum demum ordinatione, judicare ex asse nemo valet.

2. Studium *Genealogicum* 1. Tim. 1. v. 2. non est simpliciter prohibitum,

3. Prohibitionem *matrimonij* in linea recta non in infinitum, sed ad quartum, vel septimum (ad summum) gradum se extendere, Palatius & Pontius male statuunt.

4. *Genealogia Christi*, à Matthæo & Luca descripta, propter Judæos summe est utilis.

5. *Gallionismus*, Act. XIIII. v. 14. seq. notatus, non cadit in pium Magistratum,

SOLI DEO GLORIA.